

# V. Muscorum frondosorum

*species novas halicienses*

profert

Conventui amicorum scientiae naturalis

Hyacinthus Strzemię Łobarzewski,

Regiae Boruss. societati Halensi intra numerum adscriptus,

Viennae 12. Nov. 1846.

---

Opusculum molienti, quo illustraturus sum species Muscorum frondosorum propria manu, in itineribus meis geographicō-botanicis collectas, cum annis 1840 ad 1845 comite amicissimo VINCENTIO POL juxta Carpathorum medialium tractus centrales a scaturiginibus Vistulae orientem versus usque trans origines fluviorum Pruthae et Serethi peregrinabamur, mox summas inter alpes immensaque primaevarum sylvarum abieginearum aequora migrantes, moxque promontoriorum septentrionalium fageta visitantes, vel vicinas sabulosas Vistulae planities aut latos Podoliae occidentalis campos perscrutabamur, sensim sensimque adparet, dum jam paululum increverit labor, plures me ibidem praeter communissimas collegisse Muscorum species, quas in Bryologia Europae orientalis hucusque intacta, sat raras nec speratas dicere posses. —

Paucis etenim absolvens, muscos nonnullos, rarioribus Europae occidentalis solito more adnumerandos, uti „*Anacamptodontem splachnoidem* FRÖHLICH, *Anomodontem striatum* HÜBN. et *repentēm* HÜBN., *Fissidentem incurvum* SCHWÄGR., *Hypnum reflexum* STARCK, *Hypn. plicatum* SCHLCH., *Hypn. protuberans* BRID., *Tinniam megapolitanam*, *Campylopum saxicolam*, *Bryum Zirii*, aliasque, justum est ut laudem in herbario meo quasdam recentissimas celeberrimi W. P. SCHIMPERI species, nullibi descriptas, ast jam in Stirpibus norm. Bryolog. Europ. divulgatas, uti *Hypnum glareosum* Br. et Sch. et *Leskean longifoliam* Br. et Sch., vel *Hypnum crinale* Br. et Sch., extollam, muscum difficillimum pulcherrimum, mihi secus e solo commercio litterario privato notum — quas ajo species, in ditionibus Carpathicis terisque vicinis a nemine Bryologo hucusque visitatis, ego primus sum cui contigit legere et distinguere.

Contigit praeterea, plures reperiisse species plane novas, nec cuiquam notas, quas grata Muscologiae Europeae augmenta fore, opinor.

Quae de cunctis hisce meis haliciensibus Muscis, summarie sum dicturus, aut quascumque animadversiones alias criticas in varias hodieum confusas species, mihi decur-

rente labore obvias sum prolaturus, haec ampliori opusculo meo quondam publicando, praebebunt argumentum, quod laetiore aliquando gaudens otio, ad unguem persicere speramus, desideramus saltem.

Nuper autem, dum permultis gravibus heterogeneis premor laboribus, et nisi successivo utor tempore, id saltem esto mihi solatio, quod aliquas species novas, pedentim quasi carpendo electas praemittam, in eas modo prioritatem acquisiturus detectio-  
nis, modo Bryologorum expectans, si quasdam volebunt communicare, commentationes. —

Ecce igitur, rationem praesentis meae dissertationis, qua pemptadem muscorum no-  
vorum divulgo, hac vice solis verbalibus expositionibus illustratorum, dum relativas ico-  
nes alioquin differo.

Exordior autem specie e typo Neckerae carum Distichiarum, quondam a me in pla-  
gis campestribus Haliciae orientalis lecta, nuperrimo tempore in Austria inferiore quoque  
reperta; scilicet

### I. *Omalia Besseri DE ŁOBARŻ.*

*Caespites planae densae tenerriniae, homonalle radiantes — caules filiformes re-  
pentes, pinnatum - bipinnatumque decrescenti - ranificantes, applanati, ramis  
strictis tenerrinis obtusis vel filamentosis — foliis caulinis bifarium distichis,  
orbiculato - ellipticis, rameis late - lanceolatis, glaberrimis, absolute enerviis, in-  
tegerrimis; perichaetialibus foemineis, late-linearibus cuneato - truncatis argute  
serrulatis, vel ligulatis acutis serrulatisque, masculis autem lanceolatis, conca-  
vis, subulato - apiculatis.*

Incolit saxa arenosa humidiuscula umbrosa sylvatica, agri podolici Leopoliensis,  
ibidem in fagetis pago Lisienice vicinis, abscondita, ubi degit sociis *Jungermannia plati-*  
*phylla*, *Anomodonte viticuloso*, *Leskea longifolia* Br. et Sch., *Hypno alopecuro*  
et *Timmia megapolitana* — ibique raram anno 1841 mense Junio deteximus.

Eandem nisi nos fallit memoria speciem, e cacumine alpino rupestri montis Huśla,  
in Beskidis orientalibus ad fontes fluminis Laturcza elati, possidebamus.

Provenit tandem, in promontorii subalpinis Austriae inferioris, scilicet in convall-  
ibus amoenissimis, Quercetis, Fagetiis, sylvisque Pini austriacae vestitis, ad occidentem  
thermarum Baaden sitis, ubi ad arbusculae cujusdam truncum, mense Septembri anni  
1844, semel caespitum legit defunctus Dr. ALOISIUS PETTERLIK et erroneo *Neckerae*  
*pumilae* nomine adscripto, in herbario suo asservavit.

---

*Caespites* appianatae, densae mollissimae tenerrimae, radiatim divaricatae vel ho-  
momallae, profunde virides, illis *Omaliue trichomanoidis* perquam simillimae.

*Caules* filiformes, flexuosi foliosi, unciales ad biunciales, prostrati, pinnatum bi-  
pinnatumque ranificantes, ramis rectis filiformibus, varia longitudine divaricatis, simpli-

cibus vel flabellatim pinnatimve iterum ramificantibus, applanatis divaricatisque — *ramuli* juveniles abbreviati, stricti, repentes filamentosi tenerrimi, ad axillas foliorum, ramos vetustiores vestientium, seriatim prorumpentes et nunc vel in ramos quondam iterum prolificaturos crassiores enascentibus, vel in flagella longissima flexuosa filiformia vel capillaria, abortientibus.

*Folia caulinia ramea* que polymorpha, bifariam distiche posita, oblique insidentia, vetustiora exacte elliptica, vel orbiculato-elliptica, ad bases paululum angustiora (minime tamen acinaciformia) apicibus rotundata, tenerrima, glaberrima, laete-viridia, integrerima, et in nonnullis solum, hinc inde, apicali margine tenerime denticulata, vel erosiuscula, secus integerrima, absolute enervia — ad caules, ramos, ramulos flagellaque oblique insidentia, pinnatim posita, horizontaliter divaricata, lumen marginibus vicinis sese ex parte tegentibus — areolatione minutula elliptica vel rhomboidea, saepius crassiuscula.

*Folia flagellorum*, ramulorumque juvenilium, passim elliptica, margine apicali paululum obtuse-subacuto, vel obovata apice exacte orbiculato, vel iterum obtuse apiculato, huic inde imo lanceolata; senescentia autem ellipticam induunt formam normalem, integerrimam.

*Gemmae* foliaceae terminales, ad caules ramosque normales rotundato-obtusae; similes sunt quoque aliae ad caulum ramorumque latera in foliorum axillis seriatim prorumpentes, et cunctae Perichaetia, similibus in locis oriunda, simulant — gemmae vero ad flagellorum apices enatae, lanceolatae sunt, acuminatae, subulato-acutae.

#### *Inflorescentia* dioica.

*Perichaetia* in caulibus ramisque vetustioribus, ad foliorum axillas crebra, sessilia, dimorpha sunt — *foeminea* bulbosa lanceolata, apicibus vase-squarroso, foliolis externis ovatis obtusis pumilis, internis vero multo majoribus late-linearibus linguaeformibus, apicibus cuneatim truncatis, acutis, serrulatis, lateribus integerrimis — genitalia foeminea cum paraphysisibus mixtim enata, illa lagenaeformia, collo turbinascente flexuoso crasso, haec vero filamentosa pellucida flexuosa, cuncta autem foliolis intus minutissimis ligulatis aut lanceolatis, acutis irregulariter ast argute serratis tenerrimis hyalinis, arcta.

*Perichaetia antheridiigera*, item caulineta et ramea numerosissima, in diversis plantis enata, bulbosa sunt, ovato-lanceolata, foliis imbricatis erectis, apicibus vix divaricatulis, enerviis integerrimis, teneris pellucidis, ovato-lanceolatis concavis longe apiculatis, apiculis subulatis.

*Antheridia* brunnea, cylindrico-clavellata, filiformi-stipata, 2 ad 4, in perichaetio quolibet — Paraphyses hic nullae.

Fructus deest.

*Planta haliciensis* foeminea — austriacum specimen antheridiigerum est.

Stirps pumila tenerima, inter affines Europeanas, *Omalium* nempe et *Neckeras*, priori affinissima alteris vix comparanda, *Neckeris* vero tropicis Distichiis exilioribus, similis. —

Ab *Omalia trichomanoides* BRUCH et SCH. (*Leskea trichomanoides Auctorum*) magnopere simili, cujusque caespites nisi minus profundius viridantes emulat, distinguitur:

- a) statura dimidio minore, colore exacte viridi (nec fulvo-viridi) et plantae caespitumve odore inamoenissimo canem redolente.
- b) Ramificationibus frequentissime filamentosis stricte applanatis, illas *Neckerae complanatae* HÜBN. genio aemulantibus.
- c) Foliis oblongo- vel orbiculato - ellipticis, ad ramulos vero juniores filamentos heteromorphis, elliptico-lanceolatis, imo summis lanceolatis, absolute energiis (nec lunatis, acinaciformibus, nervosis) areolatione porro in solii paginae centro, minime longitudinaliter producta, sed laxiore, crenulatione foliorum ad margines apicales rotundatos exapiculatos minutissima, et vix sub acuta lente ad parente, soliis porro ad caules oblique insidentibus, illis *Omaliae trichomnoidis* dimidio minoribus, neque ad ramulos bullatum distichis, sed exacte horizontaliter explanatis.
- d) Stirps nostra dioica est, nec uti *Om. trichom.* monoica.
- e) Perichaetis dignoscitur tandem, in nostra dimorphis — *masculis* nempe illis in *Om. trich.* similibus, ast magis lanceolatis minus squarrosis, et foliis tenerioribus angustioribus dotatis, *foemineis* autem gemmisformibus, apice squarrosis oligophyllis, foliolis latis ligulatis cuneato-truncatis apicibus tenerrime serratis, illis in *Hookeria Webiana* MONTAGNE similibus.

A *Neckera complanata* HÜBNER (*Leskea compl. Auctorum*) genio plantae quoque affinissima, eadem filamentosa ramificatione gaudente et habitu simillimo, differt: statura quater in nostra minore, colore profundius viridi, et foliis orbiculato-ellipticis absolute exapiculatis, perichaetisque aliis.

Maxima autem est affinitas, nostram inter speciem et *Hookeriam Webbianam* CAMILLI MONTAGNE, in „Histoire naturelle des Iles Canaries par Barker Webb et Sabin Berthelot. Paris 1840. Sectio III Plantae cellulares, pag. 12, Tab. I, Fig. IV“ — nam et eadem cum *Omalia trichomanoides* similitudo et affinitas, habitus plantae idem, eadem foliorum positio et figura, imo foliorum perichaetialium forma linguaeformis serrulata, eademque areolatio.

Multum imo haesitavimus de specierum ambarum identitate aut differentia, nec hodie ob speciminum Canariensium defectum, cuncta nobis dubia tollere licet. — Ex iis quae loco citato legimus, et quod ex iconum comparatione licet enucleare, speciem nostram Europeanam, foliis ad bases angustatis (nec basi caulem amplectentibus), perichaetialibus foemineis quidem quoque linguaeformibus quandoque sub apice angustatis, ast apicibus, in nostra cuneatis et acute serrulatis (nec exacte rotundatis, serrulatis), ramificatione

*filamentosa*, et *statura in nostra duplo minore*, a specie Canariensi ad Agua Garcia Teneriffae lecta, distinguimus.

Obstat vero, in speciminibus nostris fructuum absentia, obstat quoque in descriptione MONTAGNI, perichaetiorum masculorum commemoratio, unde dubium an stirps Canariensis monoica sit aut dioica, quaeque sit perichaetiorum antheridiiflororum figura.

E cunctis quae circa plantae nostrae morphologiam diximus, absente etsi fructu adeoque charactere solito usuali generico hodieum ignoto, minime haesitamus eadem ob insignem cum *Omalia trichomanoides* affinitatem, eidem subsummare generi, cuius adcuratior enucleatio, in *Bryologia Europea* celebr. BRUCHI et W. P. SCHIMPERI expectanda, in *Stirpibus normalibus Bryol. Europ.* quasi promissa, necessitas autem jam diu antea auctore BRADELIO in *Bryologia universa*, in genere *Leskea* (*Omalia*) Tom. II pag. 284 et 325, indicata est.

Museum meum novum, elegantissimum tenerimum, numerum specierum Europeanarum, disticha foliatione eximiarum, paululum ampliantem, et quasi e regionibus tropicis, in nostratis frigidis hospitem, nomine insignimus „nostri WILIBALDI BESSERI, *Primitiarum florae Galiciensis* auctoris, floraequae podolicae, una cum ANTONIO ANDRZEJOWSKIO, scrutatoris eximii.

E stationibus tandem ambabus huc usque notis, agro nempe podolico Leopoliensi et promontoriis subalpinis Austriacis, centum ultra millaria a se distantibus, et juxta climatis floraeque locorum natalium indeles, juste expectandum censemus „*Omaliu* hanc Besseri, minime esse rarissimam nec prope modum localem, imo forte Hungariae Rossiaeque meridionalis quam late patent, civem fore inventuram.

## II. *Hypnum pelitnochroon* DE LOBARŽ.

*Cuespites dilatatae pulvinatae, dense intricatae, colore griseo-viridi. — Caules teneri longe prorepentes flexuosi, simpliciter et inaequaliter pinnatim-ramulosi — ramuli, abbreviati simplices crebre julacei, saepe dense approximati, denseque imbricatim foliosi, folia caulinia majora, latiora, rameis conformia; ramea ovato-lanceolata latius vel angustius cuspidata, basi ventricoso-concava, marginibus paululum explanatis, basi integerrimis, sursum serrulatis, absolute enervia — perichaetalia longe lateque lanceolata, tenera, longitudinaliter striata et plicata, quoque enervia, apice argute serrulata thecae cernuae minutulæ olivaceo-brunnea sub ore arcte constrictæ, ealyptrae albo-virentes, seta breviuscula — fructificatio copiosa.*

Habitat in agro Leopoliensi, speciatim in sylvulis lucidis pagi Želazna Woda prope fontem ejusdem nominis, ubi degit ad Acerum truncos vetustos copiose muscigeros, sedes eligens umbrosiusculas rivulis vicinas.

*Caespites* latae compactae implexae, laete griseo-viridantes, fructuum debilium minutulorum copia insigni fulvescentes, per Acerum cortices, vellerum adinstar latorum applicatae.

*Caules*, bi-ad-quadruplicares teneri filiformes flexuosi repentes foliosique, copiose pinnatim ramisicantes et copiose fructificantes, basibus cortici applicatis, hinc inde radiculigeri, humiditate corrupti fulvescentes, sursum griseo-virides, in caespitibus compacte implexi, et nisi ad latera plumose radialiisque excurrentes.

*Ramuli* bi-ad-trilineares, in caulis distiche et decrescenti-pinnatim prorumpentes, oppositi, simplices graciles stricti vel flexuosi, julacei, dense foliosi, sericeo nitentes, mox distantes moxque arce approximati.

*Folia* per caules ramosque, undique dense imbricata, apicibus patenti-incurviusculis, caulina rameis majora — cuncta ex ovato-cuspidata, vel ovato-lanceolata, basi ventricoso-concava, marginibus paululum explanatis, circumferentia versus apices serrulata, absolute enervia griseo-viridia, areolatione laxiuscula.

*Perichaetia* numerose ad caules prodeuntia, albicantha vaginatim-imbricata, bulbulos simulant lanceolatos elongatos, foliis exterioribus abbreviatis, internis maximis, late-lanceolatis, tenerimis, longitudinaliter plicato-striatis, quoque absolute-enervibus, sursum argute serrulatis.

*Setae* semiunciales, adscendentiae, subtortae fulvo-cinnamomeae, vaginulis cylindraceis, laete-virentibus.

*Thecae* juniores arcuatim incurvae, maturae teretes debiles subcernuae inaequales, basi gibbo-tumescentes, sub ore arce constrictae, stomate annuliformi dilatato horizontali, cunctae e fulvo-brunneae.

*Operculum* solum in stadiis juvenilibus visum, e basi convexa longe rostellatum adparuit.

*Calyptrae* glaberrimae, juniores cylindraceo-tubulosae, demum senescentes sursum fissae cuculliformes albo-virentes, thecam uno ex latere vellantes, basi erosiusculae, imo in apice conniventes, convolutae et ungue corneo xerampelino subuliformi constrictae.

*Peristomium* duplex, exterius dentes 16, subulati elongati, transverse minute-trabeculati, fulvo-viridantes — interius, lamina hyalina, tenerima peristomio externo brevior, carinato-sulcata, in ciliis totidem, lanceolatas flexuosas costatas, ciliolis capillaribus brevibus interjectis, fissa.

*Fructus* Junio maturi, et evacuati, thecis juvenilibus calypratis, serie secunda seriore prorumpentibus et anno demum futuro maturaturis, crebre intermixti.

Species casta est, typica, copia fructuum eorumque debilitate insignis, vellera dilatata densa spongiosa formans — ob colores fulvos et griseo-virides pallidos in stirpe dominantes, nomen *peltnochroon*, dedimus.

*Caespitum* habitus colorque, caulum et ramulorum figura, illis in *Hypno reflexo* STARCK non dissimilis, ast singulorum organorum fabrica, toto diversa caelo.

Varietatibus porro quibusdam *Hypni cypressiformis* LIN., illis nempe filiformibus vage ramosis, tenerrimis pallidis sterilibus, primo ex aspectu similis, circa trutinium caustum vero differentissima; in ordine *Hypnorum* naturali, inter *Hypnum protuberans* BRID. et *Hypnum incurvatum* SCHRAD. medio collocanda, et catervae *Hypnorum Serpentium* adsciscenda, ita ut sequens adpareat series „**1. Hyp. confervoides** BRID. — **2. Hyp. subtile** BR. et SCH. — **3. Hyp. pulchellum** DICKS. — **4. Hyp. polymorphum** HEDW. — **5. Hyp. incurvatum** SCHRAD. — **6. Hyp. pelitnochroon** DE LOBARZ. — **7. Hyp. protuberans** BRID. — **8. Hyp. fastigiatum** BRID. — **9. Hyp. Halleri** LIN. FIL. — *Hypnis* protuberante et fastigiato, affinitatem cum *Cupressiformibus* et *Aduncis* hic loci momentibus.

Species autem nostra, ab affinibus, sequentes habet diagnoses „a *Hypn. protuberante* BRIDELII Br. univ. Tom. II. pag. 612, sive specimenum clariss. W. P. SCHIMPERI, in *Stirp. norm. Br. Europ.* divulgatorum, et sive specimenum nostrorum castissimum in Beskidis orientalibus lectorum, *dissert nostrum Hypn. pelitnochroon*“ caespitum colore griseo-viridi, nec aureo — caulis tenerioribus, longioribus, ramisque gracilioribus filiformibus flexuosis — soliorum positione undique arcta-imbricata julacea (nec disticha), eorumque figura *brevius cuspidata*, *ventricoso concava*, *marginibus explanata* — perichaetalibus simillimis quidem, sed brevius acuminatis — operculo non protuberante sed *convexo* — setis multo brevioribus et fructibus duplo minoribus, fulvis brunneisque (nec cinnamomeis) — musci secus sunt affines, minime tamen confundendi.

Cum *Hypnis polymorpha* HEDW. et *Hypn. Halleri* LINN. FIL., eadem organisationis teneritate, fructuumque simili figura et debilitate, caulis ramificationis modo, et caespitum mollitie gaudet — secus distinctum.

*Hypnum* tandem *incurvatum* SCHRAD. species quoque distinctissima, dignoscitur „caulis abbreviatis, ramulis julaceo-squarrioris, amentaceis, incurvatis, foliis angustioribus, longius subulatis, integerrimis, et perichaetalibus integris glabris — fructus in ambobus aequaliter debiles numerosi — genus plantarum generatim propinquissimus.

---

Specie jam diu juxta exemplaria Leopoliensia, rite cognita et descripta, accedit, quod in herbariis Musei Palatini Vindobonensis, invenerim specimina quaedam italica, celeberrimi DE NOTARIS, ad sagos in sylvis Provinciae Novariensis Augusto 1834 lecta, et insigni nomine *Hypni protuberantis* BRID.

Superficiali jam congruentia horumque italicorum speciminum, cum meis haliciensibus incitatibus, ad curatiorem analysim suscepit et comparationem, unde de identitate amborum specifica, claram nactus sum persuasionem.

Unicum quod intercedit discriminem, *thecae setaeque* praebent, in musco italico, *ter-quaterque* illis in Haliciensibus maiores et flavicantes, ita quod fructificandi ratione

revera aemulent genuinum muscum Bridelianum, reliqua autem caulium ramificationis ramulorum et perichaetiorum fabrica foliorumque figura, eorumque dispositionis modus, cum Hypno pelitnochroo ad amissim congruentissimi.

Data hac ratione, Italorum Bryologorum opera lustrans et perquirens, circa problematicum muscum Notarisanum qualemcumque adquisiturus expositionem, in *Syllabo Muscorum Itiae celeber*. DE NOTARIS locum inveni parallelum pag. 56 et 57 — quo auctor varietatem 5<sup>am</sup> Hypni cupressiformis, in Provincia Novariensi lectam, et in Mantissa sua, pro Hypn. protuberante habitam, describit illustratque *sequentibus* „*Varietas denique late-caespitosa — caulis repentibus affutum radiculigeris, pinnatimque, confertimve ramosis, ramis teretiusculis, simplicibus, siccitate curvatis, foliis dense imbricatis, patenti-incurvis, ad apicem ramorum subsecundis, ovato-acuminatis, concavis, marginibus inferne subreflexis, superne serrulatis, obsolete breviterque binerviis, siccitate appressis, crisplis, perichaetalibus interioribus oblongo-aenun-natis, convoluto vaginantibus, enerviis serratis, capsula oblongo-cylindraceae, inclinata, sub ore constricto, curvata, operculo e basi convexo-conico, in rostellum breviusculum producta, capsulae os subexcedente.*“

„*Hypnum protuberans DE NOTARIS. Munt. n. 34, an et BRID. 2. p. 612. Ad truncos fugineos in sylvis montanis vallis Vegezzo provinciae Norariensis: DE NOTARIS.*“

Liquet exinde cl. Notarisiū, muscum suum Novariensem, in Mantissa quandam pro *Hypn. protuberante* habitum, cum nostro *Hypn. pelitnochroo* specifice identicum, recentissimo tempore, pro peculiari recensisse *Hypni cupressiformis* varietate.

Fatear necesse est, nec levissimum me in specie nostra exquisivisse organisationis vestigium, quo indicaretur qualiscumque cum *Hypno cupressiformi* affinitas, e contrario *Hypnorū Serpentium* typus, primo jam ex adspectu clarus, circa analyticam revisionem eo praecisius adparet elucetque — nec quoque cum *Hyp. protuberante* confusio, ab characteres diagnosticos supra memoratos, facile inquirendos, veniam postulat gratiamque.

Minime igitur Italorum celeberrimi Bryologi sententia, nostra labescit firma opinio, qua praesentis musci haliciensis et novariensis, proprium specificum agnovimus valorem, rite cognitum firmumque, et nil pluris exinde duximus consilii, nisi quod ampliorem geographicae distributionis adquisivimus notitiam.

Peculiaris autem italicorum specimenum, fructus fabrica, eximiam varietatem distinguere jubet, quam *sequentibus* complector:

var.  $\beta$  *megalocarpa*

*setis duplo longioribus, thecisque ter quaterque fortioribus, flavis.*

DE NOTARIS *Syllabus Muscorum Itiae Taurini* 1838 pag. 56 et 57 *Hypni cupressiformis* var. 5<sup>ta</sup> DE NOTARIS *Mantissa* n. 34 — *Hypn. protuberans*.

Fide speciminum authenticorum auctoris.

Provenit ad fagos, in sylvis Provinciae Novariensis Italiae borealis, ubi Aug. 1834 caespitosam, cum Leptohymenio filiformi pertextam legit, illus. DE NOTARIS.

---

### III. *Leskea Polenburgii DE LOBARZ.*

*Caespites latae pulvinatae, rubiginoso-olivaceae, laxe homomalle textae, habitu Leucodontis sciuroidei, aut Racomitrii cuiusdam — caules filiformes rubiginosi longe producti, sursum crebre ramosi foliosique, ramificatione virgata, fasciculata aut flabellata, cunctim cunctimque fastigiata, — ramis nempe simplicibus compositis, nunc incrassatis julaceo-squarrosis, abbreviatis fasciculatis, nunc magis productis, vage flabellatimque iterum divisis, fastigiatis, flexuosis, apicibus hamato-incurvis turbinascentibus, aliis tandem filiformibus longissimis simplicibus filamentosis, varie inter alios heterogeneos textis — folia sensim sensimque increscentia, basilaria rubiginosa minutula, caduca, laxe imbricatula, superiora caulis ramorumque apices versus majora, undique luxe imbricata erecta olivacea et aeruginosa, varie squarrosula vel secunda, summa maxima, turbinascenti-homomalle congesta, hamato-incurva — cuncta vero, e basi late orbiculate-ovata, concava, cucullato-undata, sursum longissime ligulatim cuspidata, cuspide acutissimo longe producto, marginibus integerrimis, undulate hinc inde flexis, tenerime granulatis, areolatione papillosa laxa subregulari, nervo fortis obscurō longitudinali, imo sub folii apice, sensim evanido.*

Habitat in sylvis primaevis sagineis Beskidorum orientalium, ubi lecta est anno 1841, in latere australi alpis Županiensis — in sagetis scilicet, scaturigines flumins Stryj celantibus, ad arborum truncos putrescentes caespitibus latis enata, plures quidem visa, nec unquam fructifera! —

---

*Caespites pulvinatae molles, late divaricatae, rubiginoso-olivaceae, homomalle textae, illas Racomitriorum pulvinas, simulantes.*

*Planta mox Leucodontem sciuroidem, mox Leskeam longifoliam, mox Racomitrium quoddam habitu aemulans.*

*Caules basi filiformes, tenerimi prostrati varie divaricati, inordinate divisi rubiginosi nudi, sensim crebre ramificantes crassiores, foliosi, — ramificatione vaga, fasciculata, virgata, flabellataque, cunctim fastigiata.*

*Rami caulibus fortiores, recti producti divaricati, biunciales aut ultra, simplices, aut ut plurimum divisi, divisionibus assurgentibus strictis, fasciculatis virgatis aut flabelatis, cunctim fastigiatis, foliosis, julaceo-squarrosis, apicibus hamato-incurvis, colore*

ad bases fennugineo, sensim olivaceo, demum laete-aeruginoso — flabellis filamentosis tenerimis et longissimis flexuosis, crebre hinc inde inter caespites textis, plantas quasi heterogeneas simulantibus.

*Folia* in caulis, ramorumque vetustiorum basibus, caduca, minutula, julacea adpressa, undique imbricatula, sensim apices caulinos versus, et ad ramos ramulosque juniores, increscentia majoraque, olivaceo-viridia, undique laxe-imbricata, cuspidibus erecta vel saepissime squarrosa, saepe homomalla, in apicibus innovatis laete-aeruginoso-viridia, dense turbinascenti-congesta, hamato-incurva — suntque e basi late orbiculato-ovata, cucullato-inflexa concava caulem amplectente, sursum longissime ligulatum cuspidata, cuspide acutissimo longe producto, marginibus integerrimis, varie undato-flexis, sub lente acuta granulosis, nervo valido, crasso, obscuo, longitudinali, subimo folii cuspide, sensim evanido — cuspide vero granulato, stricto vel oblique-incurvo.

Laminae cellulosa areolatio papilloso-granulata, laxa, subpellucida.

Nec Perichaetia, nec fructus novimus.

Species eximia! — generi Leskearum, juxta ordinem naturalem W. P. SCHIMPERI circa species Europeas, in stirpibus normalibus Br. Europeae demitis Isotheciis, nutu naturae conformiter correcto, procul omni dubio adsciscenda, et genio organisationis, et structura anatomica idem monentibus — hic vero, medio inter *Leskeum longifolium* Br. et SCHIMP., et *Leskeum viliculosum* AUCTORUM ponenda, remotius *Leskeae rostratae* HEDW. et *Leskeae adtenuatae* AUCT., affinis.

Cum *Leskeu longifolia* Br. et SCH., specie nova pulcherrima helvetica, quam per-saepe etiam in agro Leopoliensi annis 1840 et 1841 videbamus et legimus, detectio-nem castissimam fecisse frustra rati, tanta est praesentis *Leskeae Polenburgii* affinitas imo similitudo, quod circa primam herbarii nostri lustrationem, nil nisi varietatem gi-ganteam habere, censerem — iidem sunt „genius, et associationis singularium stirpium formae, color propinquissimus, nisi magis lurido-olivaceus, vetustarum plantarum quo-que eadem rubigo; et nisi dimensionum in nostra specie, quater quinquesve majorum demeris crassitiem, idem caulum ramulorumque divisionis adparet modus, ast tantopere ad unguem plane idem, ut nuspia majorem propinquarum specierum exoptaveris con-gruentiam — foliorum porro, in caulis ramisque positionis et sursum increscendi modus, mox squarrositatis, mox homomallae directionis, et in apicibus hamatae conglo-bationis ratio, in speciebus ambabus omnino idem.

Foliorum laminae tandem areolationis laxae papillose granulosae natura, nervi longitudinalis robustia, ejusque fabrica densa obscura, in ambabus, eadem — ast foliorum figura propinqua solum, sed differens.

Folia etenim, in nostra specie, ter quaterque majora, e basi lata ramum amplec-tente, orbiculato-ovata concava cucullato-flexa, longissime ligulatum cuspidata sunt, cuspide acutissimo, longo producto, saepe in latus obliquo — in *Leskeu* vero *longifolia*

**Br.** et **Sch.** solum longe-lanceolata acuta adparent, multoties minora, differentiam praebentes eximiam facile videndam.

Cum *Leskeae viticulosa* Auctor., specie altera, quoque affinissima, ast ramificatione gaudente diversa, et robustia sua facile dignoscenda, arcta est praeter areolationem affinitas, ob partium solii basilarium similem fabricam, et dimensiones soliorum aequales, sed cuspide dignoscitur nostra *acutissimo* longe producto obliquo, nec obtuse-rotundato, et nervo lamina sua *obscuriore*, sensim evanescente nec *lucido* et *abrupto*.

A *Leskeae rostrata* HEDW., boreali Americana et Helvetica, stirpe hacce in cetera minutissima intricata vaga gaudente ramificatione, ramulis julaceis brevissimis dotata, foliisque lanceolatis cuspidatis tenerrimis, laxe granuloso-areolatis, undulatis, ad margines tenerrime quoque granulosis, nervo lucido crasso, sub cuspide abrupto, cuspide ipso longe capillariter producto, *dignoscet nostram* „caespitum genio et ramificatione in mea diversissima, nervo porro *obscuro*, foliis pluries majoribus, et capillaris productionis absentia.

Speciei tandem longe notae, scilicet *Leskeae adtenuatae* Auctor. ob arctam affinitatem justum fuit, hic loci meminisse solum, diagnosis facillima, ob folia ovata obtusa abbreviata.

Leskeas igitur Europeas juxta specierum ordinem naturalem illustraturo, post *L. longifolium*, *nostra species* ponenda erit, sequantur demum *L. viticulosa* et *L. adtenuata*.

Adest vero ordo Muscorum, habitu Pleurocarpis imprimis Leskeis quibusdam hoc loco citatis, speciatim nostrae *Leskeae Polenburgii*, habitu perquam simillimus, si steriles negligenter contuleris caespites, ordo scilicet Racemitorum, facile areolatione densa punctata regulariter lineatim congesta, foliis rigidulis hygroscopicis saepe apice pellucidis noscendus, quem ne in specie mea suspicaris, moneo — hic enim organisatione propria anatomica, et genio vix describendo, ast cuilibet circa autopsiam mox perspicuo, evidenter longe alienus.

Cum *Leucodonte sciuroide* Schwägr., planta minime affini, nil nisi caespitum habitat, et stirpium singularium occurrit longinqua similitudo, solum deceptura tyronem.

In specie vocanda, usus sum illustri nomine VINCENTI POL A POLENBURG, laureati nostri poëtae, scientiis naturalibus, imprimis Geographiae deditissimi, amici mei sincerissimi, quo comite pluribus annis, Beskidorum occidentalium tractus montosos, Tatrorum alpes, et orientalium Beskidorum deserta sylvatica primaeva alpesque, tum podolicas ditiones visitavimus, laborem communem physico-geographicum parantes; hac *Leskeae* dedicatione, communi nostro studio literario positurus monumentulum.

#### IV. *Hypnum intorto-plicatum* DE ŁOBARŻ.

*Caespites aureo-luteae, sericeo nitentes, molles vel compactiores, homomalle textae — caulis prostratus debilis fragilissimus, parce bifurcatim-ramosus, ramis inferioribus strictis elongatis simpliciusculis, summis abbreviatis tumescientibus fasciculatis, falcatis-incurvis — folia late-ovato lanceolata, vel e basi late-ovata longe acuminata, integerrima absolute-enervia, apicibus carinato-retrorsum oblique falcatis, uberrime longitudinaliter plicata, intorta, disticha vel secunda.*

Incolit regiones collinas podolicas Haliciae orientalis, agrum scilicet Leopoliensem, ibidemque degit in rupibus arenoso-calcareis Lisiencensibus, locis lucidis aridioribus, sociis *Hypno abietino* — *Hypn. polymorpho* et *Hypn. tulescente* — caespites formans compactas pulvinatas homomalle textas; aut hospitat in praeruptis argillosis humidiusculis umbrosis, viarum cavarum, per fruticeta Coryleta et Carpineta, rupibus memoratis vicina hinc inde ducentium, hicque sociis *Bryo pallente* et *Pohlia elongata*.

*Caules* biunciales prostrati debiles fragilissimi, flexuosi bifurcatim ramosiusculi, arrizii, apicibus incrassatis, subsfalcatis inflexis, in caespitiis homomalle incumbentes, vel diffusi.

*Rami basiliare*s, graciles elongati siliformes stricti vel flexuosi; *apicales* vero brevissimi fasciculati uncinnatim incurvi, vel arcuati tumescentes.

*Folia* in ramulis superioribus caulisque vetustioribus, dense coarctata disticha, apicibus squarrosumuscula, late-ovato-lanceolata vel late-ovata acuminata, apice retrorsum vel oblique in latus carinata-falcata, absolute enervia, circumferentia integra, nisi ad lentem acutissimam in cuspide paululum irregulariter serrulata, eximie longitudinaliter uberrime plicata, areolatione tenerima longitudinali, laminam pellucidam membranaceam constitutae — folia ramulorum vero basilarium, caulinque teneriorum secunda sunt, falcatis inflexa, ex ovato anguste-lanceolata, basi concaviuscula, sursum carinato-reflexa, longe cuspidata integerrima subpellucida, plica hinc inde conspicua.

Fructus desiderantur!

Variat: α *Forma cupressoides* „rupincola, caespitibus courctatis, homomallis, illis Hypni cupressiformis aemulis, caulis crassioribus, foliis distichis squarrosumis, late ovato-lanceolatis, uberrime plicatis, apicibus intorte-obliquis.

β *Forma callichrooides* „caespitibus laxis reticulatis, illis Hypni callichroi similibus, caulis vase diffusis gracilibus, foliis secundis falcatis flexis, anguste lanceolatis cuspidatis parce plicatis — praerupta argillosa eligit.

Caespites generatim aureae castissimae elegantissimae, sericeo nitentes, applanato-pulvinatae, dilatatae, mox densae compactiores, mox latius diffusae, — modo *Hypni cupressiformis*, modo *Hyp. callichroi* specimen videre credideris.

Quare eruendo diagnoses et affinitates speciei hujus amoenissimae, numerosas impri-  
mis contulimus varietates *Hypni cupressiformis*, quas possidet Museum palatinum Vindo-  
bonense, perpensisque porro assidue BRIDELII aliorumque auctorum diagnoses, et diverso-  
rum varietatum adumbrationes, sequentia statuimus „convenit species nostra cum *cupressi-  
formi Hypno*, toto habitu caespitum et habitu singularum plantarum, ramulorumque  
forma dorsali facie disticha catenulaeformi apice uncinato-incurva — *differit autem:*  
plantarum singularum caulibus simplicibus et surcatim parce ramosis brachiatis, axi  
semper xerampelina fragilissima, ramulis simplicibus brevinsculis, ad caulum apices  
arcte fasciculatis, subflexuosis, *fastigiatis*, genioque plantae totius, magis illum  
*Hypni rugosi* amulante; foliis porro penitus heterogeneis, nempe late-ovatis acutis,  
semper in dorsum, vel in latus oblique intortis, et laminae uberrime longitudinaliter pli-  
cata, constanter absolute enervi, aureo colorata, ad basim paululum rubiginosa, quae si  
explanatur foliis *Hypni pratensis* KOCH, similis adparet, sed basi paululum latiore et  
cuspide magis producto.

Ramificatio igitur fastigiata, forma soliorum et plicatura character, in cunctis spe-  
ciminibus constantissimus, eximius, primo sub debili lente adspectu absque ambage ad-  
parens, firmas praebent diagnoses, non spectato et si plantae genio speciale, qui ad-  
curato demum terminato trutinio, clarissimis adparet elucetque.

Arctam porro cum *Hypno callichroo* invenimus affinitatem, conferendo specimina  
Vogesiaca et helvetica, pulcherrimae hujus speciei — idem enim cum nostra, plantarum  
genius, eadem caulum divisio et increscendi modus, quorundam porro ramulorum figura  
simillima, colorque caespitum plantarumque plane iidem — nisi quod differat species  
nostra: statura multo robustiore foliis paululum laxius distiche aut secunde positis,  
squarrosum (nec tam eximie coacervatis secundis), singulis in nostra, late ovato-lan-  
ceolatis, oblique intortis plicatis, nec e basi orbiculato-ovata concava, longe cuspidatis  
circinalis, crispulis. — Nisi tamen specimina nostrae formae a) *cupressoidis* rupincolae,  
collegissem, quae typum mihi prebuerunt verum normalem, absque ambage, terrestrem  
plantam pro *Hypni callichroi* varietate haberem.

Natura igitur monente, *Hypnum meum* rite inquisitum pro nova distincta specie  
habemus, minime et si me fugat, hanc medio inter duas, diu jam notas species inseren-  
dam fore, quarum una, scilicet *Hypnum cupressiforme* tam sit polymorpha, tantamque  
varietatum mollem proferrens, ut illis jam probatissimi Bryologi pluries seducti, nume-  
rosas inanes fabricaveriut species, quas contraxerunt alii, vel penitus aboliverunt. Melius  
autem est, censeo, circa *Cupressiformia* caute examinare, et distinguere et con-  
trahere caute, quam Methodum exercere superstite contrahentem, qua absque limite ad-  
hibita, mox et *Hypn. callichroum* et *Hyp. protuberans* et *Hypn. fastigiatum* BRID. pro  
unius ejusdemque speciei adparebunt formis — aliae vero uti *Hypnum curvifolium* HEDW.

cujus specimina Hookeriana novimus, aut *Hypn. circinale* MENZIES quod ex Insula Juan Fernandez Berteroanum vidimus, absolute eliminandae videbuntur.

Ne autem ultima, quae subire possit reticeatur ambiguitas, quam circa *Hypnum cupressiforme* alimus, sequentia monito,

„Varietates numerosas, illius musci proteiformis trutinans, quae ab autoribus breviter et obscure vulgaruntur, nusquam pinguntur, in herbariis chaotice miscentur, et a floristis confunduntur aut frequentius negligi solent, necessitabar in cognoscenda varietate Hoffmanni *lacunosa*, solis uti Bryologorum verbis, stirpibus aptis nullibi obviis.

Auctores igitur competentes contuli, solerte trutinavi, et diagnoses captavi.

Primus omnium G. F. HOFFMANNUS in *flora Germanica — Erlangae* 1795 Vol. II<sup>do</sup> pag. 63, DILLENI icon tab. 37. fig. 24, C, citans (a planta nostra haliciensi longe alienum) varietatem suam *lancunosum*, protulit, „surculis incrassatis, foliis ovato-acuminatis incurvatis lacunosis, a *Hypno genuino Cupressiformi*, et setarum frequentia, a *Hyp. rugoso*, diversum esse ajens.

Hoffmannum sequitur BRIDELIUS, tum in *Muscologia recentiorum* Vol. II<sup>do</sup> Parte 2<sup>da</sup> p. 136 — tum in *Bryol. univ. Tom. II* pag. 610, nisi quod fidem aboleat iconis Dillenianae.

Bridelium excritit WALLROTHIUS in *Compendio florae Germ. Parte II<sup>da</sup> Musci* p. 259.

Proprio denuo ingenio PHIL. MARTIUS in *Erlangensi crypt. flora* 1817, pag. 37, varietatem Hoffmannianam „maximam esse ait, ramis fastigiatis erectis incrassatis, foliis valde circinatis, lacunosis, rufescensibus et aureis.

MARTIUM excritit autem BECKER in „*Flora der Gegend um Frankfurt am Main*,“ Vol. 2<sup>da</sup> pag. 81 anno 1828, nisi quod germanice recitet, quae prius latine jam habuimus.

Reliquis Bryologis varietas *lacunosa*, prorsus ignota, silentio absolvitur.

Quam ergo gravissimam, HOFFMANNUS et MARTIUS proferunt notam characteristicam, foliorum nempe lacunosam fabricam, hanc in specie mea nuspam conspexi — fructificationem rarissimam esse credo — nec tam robustam, nec tam incrassatam scio, e contrario teneram, foliisque plicatis — insignem video — nec igitur *Hypnum lacunosum* Hoffmanni, hic pertinere opinatus, a *Hypno cupressiformi*, meum *Hypnum intorto-plicatum*, penitus rescissi.

**V. Leptohymenium elajochloron DE LOBARĘ.**

*Caespites orbiculato-pulvinulatae, radiantes applanatae compactae durae, profunde olivaceo-viridantes, vel olivaceo-fulvae, homomalle intricatae — Caules unciales vel biunciales, prostrati filiformes, pinnatum fasciculatim ramosi, rami crassiusculi teretes abbreviati obtusi, subfalcato-flexuosi arcuatim-incurvi, apicibus inflexis — folia undique vel heteromalle dense imbricata, obovata, obtuse apiculata, crassiuscula, fornicate-concava, echinato-papillosa serrulataque, nervo mox nullo, mox basili mox ultramedio.*

Degit in Beskidorum orientalium, plaga alpestris *sylvigera* — in ditione amplexa scaturiginibus fluminum Stryj et Laturcza — ibidem in summo cacumine alpis Huśla, in elevatione 5000 pedum, ubi habitat frequens ad saxa arenosa denudata aridissima, sociis *Umbilicaria deusta* et *Parmelia ventosa*, atras proferrens pulvinulas varie dispersas, proprio habitu insignes — Ejusdem quoque speciei ramulos, invenimus in *Racomitri heterostichi* caespitibus, quas retulimus e rupestribus humidis vallis Tetricae Kościelisko.

Possidet tandem Museum Palatinum Vindobonense, fragmentum, quondam a SCHLEICHERO e Helvetia sub nomine *Hypni alpestris* communicatum, quod cum nostra specie ad unguem identicum scio. —

*Caespites orbiculato-pulvinulatae, radiatim hinc inde excurrentes, applanatae compactae durae profunde olivaceo-vires, vel olivaceo-fulvae, nigricantes, homomalle textae, axis arte adpressae, habitu *Jungermanniam setaceam* EHR. aemulantes.*

*Caules unciales vel biunciales, prostrati flexuosi atri, in caespitibus saepissime homomalle divergentes, pinnatum vel fasciculatim ramosi.*

*Rami abbreviati, falcatim-arcuatim incurvi, apicibus incurvis vel hamulosis, teretes crassiusculi catenulaeformes, humiditate tumidi julaeo-turbinati quasi sedoidei sunt — illis *Leptothymenii filiformis* duplo crassiores.*

*Folia in ramulis caulibusque, arctissime undique imbricata, rarius subheteromalla, humida turgescientia, late sessilia obovata vel orbiculato-ovata unguiculata, obtuseque apiculata, fornicate aut ventricoso-concava, illis veri *Hypni alpestris* Swartz Suecorumque non dissimilia sed minora, marginibus nonnumquam intus involutusculis vel paululum applanatis, dorso et circumserentia echinato-papillosa, scabriusculta quasi, apice erose-denticulata, consistentiae crassae subcartilagineae, atre olivaceo viridiania, vel fulvo-olivacea, basi constanter ferruginea, nervo mox nullo, mox basi indicato, moxque magis producto, imo ultramedio, aut tandem debili gemello.*

Contextus cellularis ad soliorum bases laxior, e cellulis linearis-productis — versus apicem et circumferentias laminae sensim densior, cellulis rhomboidalibus vel orbicato-tetragonis, in superficie prominulis et laminae inde papillosum superficiem efficientibus.

Fructificatio deest — ast vi characterum naturalium organorum nutritionis, et genii plantae, absque dubio hujus est generis.

---

A *Leptohymenio filiformi* HEDN. (*Pterogonio filiformi* AUCTOR) specie inter omnes alias affinissima, differt: statura duplo fortiore, colore proprio lurido, ramulis julaceis crassioribus, jungermannioideis, quasi sedoideis, truncatis, arcuatim incurvatis, nec unquam filiformiter adtennatis — soliis porro aliis, nempe obovatis, oblique obtuseque umbilicatis quasi, profunde ventricoso-concavis, crassiusculis, marginibus explanatis vel involutiusculis, sub acuta lente minutule papilloso-serrulatis — areolatione solii laminae, magis crassiuscula subcartilaginea, eorumque superficie imprimis dorsali subechinato-papillosa scabriuscula, nervo magis variabili, mox nullo, mox simplici breviusculo mox tandem surcato, foliisque in ramulis humidatis, tumide et quasi bullate arcte-imbricatis.

Cum *Leptohymenio gracili* HEDN., habitu propinquo gaudet, simili ramificatione, forma ramulorum, et soliorum positione arcte-imbricata quoque simili, sed caule multo breviore et forma soliorum plane alia, diversum est.

A vero tandem *Leptoh. heteroptero* HEDN. *Pterigyn. heteroptero* BRUCHI, MUGEOET et NESTLER Crypt. Vog. Rhen. n. 714, et SCHWÄGRICHENII, plane alienum, et nisi longinqua medio *Leptohymenio filiformi* intercedit affinitas.

---

Fragmentum helveticum Schleicherianum, mancum, et erroneo *Hypni alpestris* nomine insignitum, cuius supra secimus mentionem, quodque cum nostra planta Carpathica denticum est, adeoque recte *Leptohymenium elachloron* vocandum, juste suspicari jubebat, speciem nostram jam germanicis Bryologis, diu suisce notam, aut saltem confusam.

Quapropter circa Pleurocarporum Europeorum speciale studium, singulari in cognoscendam presentem meam speciem, incubui diligentia.

Verum autem est, quod cognitis omnibus Pleurocarporum speciebus, non modo e Bryologorum verbis, aut relativis iconibus, sed quod pluris est, ex authenticis herbariis (nisi quasdam varietates Muscorum excepereis communissimorum, aut species locales Anglorum vel Italorum solis actoribus notas, sive eorumdem descriptionum a nostra plane distinctas) nullam me ajo invenisse speciem, qua aboliretur, imo qua non firmaretur nostra.

Ut autem sincere pateat, qua methodo, affinia rescinderim, confusa segregaverim, vel qui locus adhucdum suspectus posset videri, pauca meminisse liceat.

Primo, quod *Leptohymenii filiformis*, qualescumque formas rite dignoverim, presumatur rogo — muscum vulgatissimum persaepe in Beskidis orientalibus mihi obvium,

modo *fugorum* trunco muscigeros incolentem, modo *Neckera crispa* et *Antitrichia curtipendula* sociis, in vetustis moribundis *Acerum* stirpibus, mox late vegetantem ideoque sortiorem viridiorem, incrassatis ramulis tumidisque et mollibus latisque enatum pulvinis, vidi; mox vero pumilionem rubiginosum siliformem aridulum legi, sicque jam habitu e longinquo novi; dum vero prima vice in cacumine alpis Husla longe ultra sagetorum terminum ad rupes arenosas hinc inde *Parmelia ventosa* consitas, nostram conspexerim plantam atris dispersam pulvinulis, et propria cartilaginea consistentia insignem, jam tum opinatus sum, singularem, imo forsitan novum reperiisse muscum.

Nec analyses microscopicae, nec repetitae cum *Lept. filiformi* comparationes, quin imo cum selectis in hunc finem ramulis alterius quae maximam superficialem exhibuerunt similitudinem perplurimes institutae, aliud quidpiam docuere quam ambarum specificam differentiam.

Quo differrat pacto *Leptohymenium gracile* HCBN., supra monuimus — sic quoque diversissimum esse diximus genuinum *Leptohymenium heteropterum* Bruchii — MOUGEOT et NESTLER Stirp. Crypt. Vog. Rhen. n. 714. a celeberr. SCHWÄGRICHENIO in Suppl. III Vol. I<sup>mo</sup> sectio 1<sup>ma</sup> tab. CCX. b. caste depictum.

Majorem jam conspeximus similitudinem, nequaquam congruentiam speciei nostrae, cum *Pterogonium caespitoso* Engl. Bot. tab. 2526. publicato, quod est: *ramulis crassiusculis obtusatis, colore profunde luride - viridi, foliis arcte imbricatis lanceolatis crassiusculis* — licet autem intercedat habitualis inter utrasque congruentia, arcet ex altera parte quominus confundantur, foliorum forma ibidem separatim depicta, — haec imo opinioni HOOKERI et TAYLORI musc. Britt. Edit. II<sup>da</sup> p. 75 in adnotatione circa *Lept. filiforme* prolatae, indulgere videtur, qua planta Scotica, pro sola prioris robustiore censetur varietate.

*Pterogonium* porro *rotundifolium* Eng. Bot. tab. 2525. a MACKAJO in Hibernia lectum, solo ramulorum singulorum julaceo habitu coincidere videtur, secus distinctum ajo. — —

Ultimum ergo, circa quod in dubio possem versari, *Bridelianum* scio *Pterogonium heteropterum* a *Synonymo* BRUCHI, MOUGEOTI et NESTLERİ Vogesiaco, supra mentionato, plane alienum.

BRIDELIUS nempe in Br. univ. T. II. p. 176 n. 2. suum describit: *caule subfusciculatum ramoso, ramis simplicibus compositisque incurvis, foliis subimbricatis ovatis concavis, acutis subbinerviis obsolete denticulatis secundis.* — Stirpes prae se habuit Helveticas et Italicas.

Qua Synonymon quoque MOUGEOTI et NESTLERİ laudat Bridelius Vogesiacum muscum, sed teneriorem dixit.

Hac jam prima BRIDELII ipsius descriptione, differentia musci ejus, a Vogesiaco indicatur, suspectusque adparet utriusque synonymous valor.

Serius icon, celebr. SCHWÄGRICHENII, in Suppl. III Vol. I. Sect. I<sup>ma</sup> tab. CCX. b. juxta Bruchianum specimen et illud Vogesiacum MOUGEOTI et NESTLERİ, solito more per-

fectissime confectum, Bruchianum genuinum *Pterogon. heteropterum* illustrat; quod vero citata synonymice Brideliana descriptio e Br. univ. l. c. desumpta, minime alibi quadret evidens est — quid imo illustris auctor, clare, exemplar Bridelianum sibi missum quasi ibidem subsumendum, pro vero *Leptoh. filiformi* declarat.

Juste ergo ex comparatione locorum parallelorum BRIDELII et SCHWÄGRICHENII desumi potuerat, aliam habuisse Bridelium plantam, aliam vero esse illam Bruchianam Vogesiacam.

Quae Hübenerus in Musc. germ. p. 553. de *Leptoh. heteroptero* recentius protulit, haec dubia minime tollunt; directe etenim Vogesiacas praese habuit plantas, et ad Schwägrichenianum provocatur icon, nullo contradictionis Bridelianae habitu respectu. —

Donec indagatione ill. NOTARISH cunctam tandem confusionem sublatam invenerim; hic enim in Syllabo Musc. Ital. p. 81, problematicam BRIDELII speciem, uti e prioribus patet et a celeb. SCHWÄGRICHO et a HÜBENERO, cum planta Bruchiana Vogesiaca confusam, authentice in specimine Brideliano a SCHLECHTENDALIO sibi communicato vidit, et pro sola forma robustiore vulgati *Lept. filiformis* agnovit.

Haec ergo sola et ultima, speciei communissimae NOTARISH, *varietas robusta*, (quondam Bridelianum *heteropterum Pterogonium*,) mihi secus e sola conjectura et descriptione nota, dubiosa esset planta, de qua suspicari possem, quod cum meo *Leptohymenio elajochloro* sit synonyma; quod autem in hunc errorem minime incidere potuerim, sed speciem firmam protulerim, jam circa diagnoses, sinuosa narratione clare exposuisse credo.

